

possunt non in eum irruere, suæq; satisfacere appetitioni. Hoc vero spontaneum est illud ipsum, quod ad Virtutem requiritur; inq; ejus gratiam in ipso aditu Ethicæ utroq; oculo venit observandum.

TH. XVII.

Quod si deinde ad Virtutis species progredi libeat, statim aberrabis in primo earum pari, ex mente quidem Aristotelis cognoscendo & ab aliis Virtutibus distinguendo, nisi hos duos Status ante oculos habueris. Cum enim Platonici ad Temperantiam retulerint tam bona è Statu humanitatis, (opes & honores,) quam animalitatis, (voluptates oris & Veneris,) quâ de re præ aliis legi meretur Cicero lib. 1. *Officiorum*; Aristoteles tamen ad eandem hæc postrema tantum pertinere putat; quemadmodum ad Fortitudinem ex opposito ea tantum mala, quæ in Statum animalitatis cadunt, (vulnera, ipsamq; mortem bellicam,) refert. Quo observatô, constabit Tibi facile de ratione, methodoq;, quâ Aristoteles numerum Virtutum majorem, quàm Platonici, inire, duasq; ex illis omnibus Virtutibus primas, æquali malorum & bonorum è Statu animalitatis factâ distributione, harmonicè distingvere potuerit. Ut taceam hæc vice alia.

TH. XVIII.

Haberemus nimirum plura, & quidem ex omnibus tribus generibus, quæ de trium horum Statuum usu in philosophia morali in medium afferre possemus; cum præsertim in ea Status Christianismi longè majoris sit efficacitatis, quàm ut omnia ejus exempla paucis hisce pagellis comprehendere possint; Jam tamen hæc pauca sufficere, locoq; speciminis esse possunt. Erit, si DEUS voluerit, ubi reliqua plenius & hæc ipsa quoq; adcuratiùs in lucem publicam protrahemus: DEO quidem juvante, cui jam sit Laus, Honor & Gloria.

C

COROL